



# Disputatio juridica inauguralis de reivindicazione

<https://hdl.handle.net/1874/341915>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
REIVINDICATIONE.

Q U A M,  
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. M. JOANNIS LUYTS,

philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N  
*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privi-  
legiis ritè, ac legitimè consequendis.

*Eruditorum Examine subicit.*

JOHAN SCHORER, MEDIOB-ZELAND.

A. D. 2. Junii, hora locoque solitis.




TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō lōc LXXXVIII.

*Nobilissimis, Amplissimis, &  
dignitate conspicuis VIRIS,*

**D.D. STEPHANO SCHORER,**  
Classis amplissimæ Societatis Indiæ Orientalis Præfecto nu-  
per maritimo primario, Fratri suo ad rogam usque frater-  
no amore prosequendo, semper venerando.

**D. D. JOHANNI SCHORER,**  
Reipublicæ Medioburgensis Viro Consulari: patruo mul-  
tis nominibus devenerando.

**D.D. JOHANNI BECKER,**  
J. U. D. in confessum Illustrium & præpotentium D. D.  
foederati Belgii Ordinum generalium, nomine Provinciæ  
Zelandiæ delegato ordinario: Avunculo perquam dilecto,  
Viro omni honore, amore, ex cordis affectu, dum vivam  
colendo, honorando.



*Hæcæ studii Juridici Primitias,*  
Sacras facit

**JOHAN SCHORER.**  
Auct. & Resp.

*Typographi, cl. J. LXXXVIII.*



DISPUTATIO JURIDICA  
 INAUGURALIS,  
 DE  
 REIVINDICATIONE.

THESIS I.



Explicaturus hujus actionis materiam, quædam præmittenda esse operæ prætitium existimo, & quidem primo quam varie *rei* vox in Jure nostro sumatur; latius enim accipitur, & denotat, restam corporales quam incorporales, tam extra patrimonium quam in patrimonio nostro constitutas, aliisque modis nobis jure acquisitas, uti videre est

*l. 5. 6. & 23. ff. de V. S.* Hæc verò cum ad nostri instituti Propositum haud multum faciant, breviter ea nos attigisse, sufficiat: *res* itaque de qua nunc sermo erit, rem corporalem indicat, cujus proprietatem actor sibi asserit; nec interest utrum res sit animata an inanimata, mobilis an immobilis, grex an unum *Caput. l. 1. §. 1. & 3. h. t. §. 1. inst. de act.* Porro, hujus rei filum persequendo, ejusdem nobis consideranda venit *vin-*

#### 4 DISPUTATIO JURIDICA

dicatio quam juxta vocis originem a vi desumptam esse, quia vi fit & adversus vim testatur *Cicero l. 11. de invent. vindicatio est per quam vis & injuria, & omnino quod obscurum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur*: Sed hæc improprie dicimus ergo *vindicationem* (pro ut hoc loco sumatur) *αὐτεξουσίαν* accipi de actione, quã vim & injuriam propulsamus adversus eos, qui nobis res nostras aut jus in rebus ereptum eunt: utrumque enim Vindicatio dicitur, & cum rei nobis dominium asserimus, & cum pignori nobis obligatam esse contendimus: ex hisce jam facile colligi potest hæc verba (nostro sensu scilicet) rectissime sibi invicem esse adjuncta, ideoque hanc actionem *αὐτεξουσίαν Reivindicationem* dictam esse, quia res corporales vindicamus eas, quas in patrimonio habemus & de quibus tanquam domini disponere possumus. Post originis considerationem succedit ejus varia significatio, quæ tripliciter sumitur (1) latissime pro omni in rem actione. (2) late pro communi genere actionum realium §. 15. *inst. de act. & l. 25. ff. de O. & A.* (3) strictissime pro vindicatione rei corporalis. *ubi. h. t.*

##### I I.

*Reivindicatio est actio civilis in rem arbitraria qua datur soli domino adversus quemcunque rei corporalis possessorem, ut res perita restituatur cum omni causa.* Dicitur, quod hæc actio sit civilis. quia (quo ad originem) descendit ex ipsis *ll. XII. tabb. gell. 20. noct. A. 9.* sic & hoc satis indicat *Instit. de act. §. sed & ista.* Dicitur in rem, duo autem genera actionum sunt prodita, §. 1. *inst. de act.* quarum altera Reivindicatio, seu actio in rem nuncupatur. §. 15. *ead.* ratio verò quare & arbitraria dicitur, ex eo constat, quod nisi reus actori judicis officio satisfaciat veluti rem restituat, cum rei, vindicatione agitur, tunc, reus scilicet si non vult satisfacere ad arbitrium judicis, condemnari debeat. §. 31. *inst. de act.*

##### III. Duo

## III.

Duo ergo hujus actionis sunt requisita (1) dominium à parte actoris (quod aliter dominii lis vocatur. *l. 18. pr. ff. de usur.*) (2) Possessio, à parte rei. Nemini itaque hanc actionem inquirenti scrupulus sit, quin soli domino competat. *l. 25. ff. de O. & A.* namque agit unusquisque vel ex proprietate quam accepit jure gentium, uti patet *l. 5. §. 1. l. 23. §. 2. & §. 3. cum 5. h. t. item l. 2. 7. 17. C. eod. vel jure civili veluti usucapione l. 24. C. b.* præterea si res subjacet restitutioni potest interim à domino vindicari *l. 66. ff. h. t.* sic & marito competit ad vendicandas res dotales. *l. doce ancillam 9. C. b. l. 49. in fin. ff. de furt. cum civiliter sit dominus. pr. inst. quib. alien. lic. l. 9. §. 1. ff. de jure dot. l. 13. §. 2. ff. de fundo dot.* Datur etiam donatario, & emptori aut ei qui simili titulo rem à vero domino acquisivit non alias tamen, quam si & traditio sit subsecuta; nam per istos titulos non acquiritur jus in rem absque traditione. *l. traditionib. 20. C. de pactis.*

## IV.

Ex nunc dictis constat dominium desiderari à parte actoris, consequens igitur est ut hoc quodam nitatur fundamento, quod si verum sit, imprimis dominium probare obstringitur. *l. g. ff. h. t.* sed quia difficilis & periculosa est ejus probatio, propterea quod actor non tantum suum sed & antecessoris sui dominium oportet docere, ideo huic actioni duæ adsunt cautiones (1) ut conetur acturus aliquo interdicto adipisci possessionem *l. 24. ff. h. t. §. 4. inst. de interd.* & hoc obtento onus probationi devolvitur in reum. *l. ult. c. b. t. l. 23. c. de prob.* (2) ad id præstò est actio publiciana ita ut actor dicat

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

se rem petere jure domini vel quasi. *l. 1. ff. de publ. in rem act.*  
 Si vero nihil probaverit, tunc juxta regulam, actore non probante reus absolvitur.

V.

Duo ergo hujus actionis sunt reditus (1) dominium & pars actionis (quod aliter dominium illic vocatur. *l. 12. ff. de ac. r. s. c. ubi in rem act.*)

Datur adversus quosvis bonæ vel malæ fidei possessores eorumque heredes quatenus possident *l. 42. §. 5. ff. h. t.* nec quicquam interest an quis suo an alieno nomine possideat, nisi hoc quod alieno nomine possidens liberetur si dominum nominet. *l. 2. c. ubi in rem act.* Si vero reus negaverit se possidere, tum si actor probaverit, tenetur possessionem tradere *l. ult. ff. h. t.* possidere dicitur (1) is qui ipse possidet i. e. suo nomine *l. 9. ff. h. t.* (2) qui est in possessione i. e. alieno nomine possidet & restituendæ rei facultatem habet. *ead. l. 9. in fin.* Liberatur tamen si ante litem contestatam nominaverit suos autores (3) Etiam is qui dolo possidere desit, sive ante sive post litem contestatam. *l. 27. §. 3. h. t.* Si vero culpa possidere desit ante litem contestatam, absolvendus tunc est, si post omnino tenetur (4) is qui liti se obtulit. *l. 7. & l. 25. h. t.*

## VI.

VI.

Ex tunc dicitur contra dominum debentur & pars actionis

Habita personarum consideratione, ordine nunc procedimus ad res quæ in hanc actionem veniunt, & sunt tales quæ commercio non sunt exemptæ, sed in dominio nostro constitutæ, eæque non quovis modo sed jure gentium aut civiliacquisitæ. Hisce præmissis vindicantur quælibet res corporales, sive mobiles sive soli, sive animatæ, sive inanimatæ. *l. 1. §. 1. ff. h. t. venit & grex, armenta,* quæ sunt nomina collectiva, multas res subjectas significantia. *dict. l. 1 §. final.* Sed huic obstare videtur quod & peculium sit nomen collectivum, plures  
 res

res sub sese comprehendens, nihilominus tamen negatur ejus recepta vindicatio *l. vindicatio 56. h. t.* & ratio differentiae hæc est, quia grex tantum in corporibus ut quasi unum corpus vindicetur: peculium verò etiam res incorporales continet, uti nomina, jura. *l. 7. §. ff. de peculio.* hinc è contrariò patet quod non vindicantur res quæ hominum commertio sunt ademptæ, quales sunt res sacræ, sanctæ & religiosæ *l. 23. §. 1. ff. h. t.* deinde non petuntur hoc judicio incorporalia, non jura, veluti peculium *l. 56. ff. h. t.* pro incorporalibus datur actio confessoria & negatoria. Nec res rebus alienis junctæ, ita ut facile separari haud possunt natura vel legis dispositione, ut in tigno ædibus juncto & per ferrumenationem junctis (secus in applumbatura *l. 23. §. 1. 56. ff. h. t.* id autem quod vindicatur debet esse aliquod certum corpus, certa species, adeoque designanda & describenda. *l. 6. h. t.* & si sunt res plures, singulæ uno quidem judicio sunt vindicandæ *l. 3. §. 1. cod.*

V I I

Hæc quoad res ipsas vindicandas, venit igitur & in hoc judicium omnis rei utilitas quæ ex re causata provenit. *l. 17. §. 1. h. t.* quo spectat alienus rerum ususfructus qui inter moras litis ad proprietatem rediit. *l. 33. ff. h. t.* Item omne id quod actor habuisset si tempore litis motæ res fuisset reddita sive ex ipsa re processerit, cujus ordinis sunt ancillarum partus, fructus & quicquid post acceptum judicium possessor non ex re sua acquisivit. *prad. l. 17. & l. 20. cod.*

V I I I

De rerum accessionibus quædam dixisse nunc vidimus: inquiramus porro quid eo nomine veniat, quod potissimum de fructibus



## § DISPUTATIO JURIDICA

fructibus dicendum volo. Per fructus intelligimus rei accessionem quæ ex ipsa re vel ejus occasione ad utilitatem hominis provenit & percipitur. fructus dupliciter statuuntur, alii sunt naturales qui ex sua natura frugifera proveniunt *l. 50. in fin. ff. ad Sc. trebell. l. 9. ff. usufr.* Vel civiles qui non naturaliter ex ipso rei corpore proveniunt sed natura steriles sunt, ut usuræ, pensiones, mercedes, aliæque obventiones quæ jure & ex obligatione sive conventionem partium oriuntur quæ proprie quidem fructus non sunt, sed tamen vicem fructuum obtinere dicuntur. *arg. l. 29. ff. de heredi pet. l. 121. ff. de V. S. l. 62. h. r.*

### I X.

Quod attinet ad fructus naturales, hos subdividimus vel in specie tales vel industriales. Naturales in specie sunt qui magis sua sponte & naturæ beneficio crescunt quam præcipuo & notabili hominis factu, ut herba, poma, pyra, glandes, cerasa, lana, pilus & similia, *§. 37. just. de rer. div. l. 28. 45. ff. de usur.* Non mere naturales, sed industriales dicuntur, qui ex rei quidem corpore, præcipue tamen hominis labore, industria, cultura, & cura proveniunt, ut: frumentum, segetes, oleum, vinum *d. l. 45. ff. de usur. l. 78. ff. h. r.* quæstio tamen si moveatur an hi vel illi fructus magis industriæ humanæ, quam naturæ debeantur, illud non absurde iudicis arbitrio relinqui videtur.

### X.

IIIV

Fructuum divisione præterita aggredimur rerum restitutionem. Res itaque deduci debent una cum fructibus & omni causa. *l. 20. ff. h. r.* restitutio autem ibi facienda est, ubi res est, aut ubi agitur: Si alibi sit, sumptibus petitoris in iter vel navigationem

nem sunt transferendæ, exceptis cibariis, nisi malit petitor suis expensis & periculo, rem, ubi de ea judicatur, restitui. *l. 10. II. h. t.* si ab eo loco ubi tempore litis contestatæ res erat, dolo malo subtractam aliò transtulerit reus, ut actori sit difficilis recuperatio, illam unde subtraxit, restituet suis sumptibus. *l. si vero. 12. h. t.* quod si possessor condemnatus contumaciter restitutionem detrectet, manu militari res auferri potest. *l. 68. ff. h. t.*

## X I.

Quantum ad malæ fidei possessorem, ille omnes fructus tam ante quam post litem contestatam perceptos & tam naturales quam industriales, tam consumptos, quam extantes restituere tenetur. *l. 22. C. h. t.* Imo etiam percipiendos. i. e. qui honeste a petitore si rem habuisset, potuissent percipi *l. 5. C. h. t.* quod & verum est si vetulum habeat, siue non *d. l. 5. & 22. eod.*

## X I I.

Bonæ fidei possessorem quod attinet ante litem contestatam perceptos & consumptos fructus irrevocabiliter suos facit; dicitur. (1) *ante litem contestatam.* i. e. tamdiu acquirit, quamdiu bona fide possidet. *arg. l. 23. §. 1. ff. de A. R. D.* sed simul ac lis est contestata, quisque b. f. possessor incipit esse malæ f. p. ubi sciverit rem alienam esse. *l. 48. §. 1. eod.* quia lite mota, tanto magis contestata, rem alienam esse secum conscius est, idcirco post litem contestatam fructuum acquisitio interrumpitur. *l. 22. h. t.* (2) *Perceptos & consumptos.* Ad distinctionem fructuum, qui adhuc extant quos una cum ipsa re restituere tenetur. *d. l. 22. C. h. t. l. 44. ff. h. t.* nisi eos usu ceperit. *l. 4. §. 19. ff. de usurp.* adeoque dicimus quod perceptio sola, bonæ fidei possessorem non faciat dominum, sed ad eam consumptio

B

accedere

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

accedere necesse est. *d. l. 22. C. b. r. ut & l. 4. §. 2. ff. fin. regund.*  
 (3) *quoscunque*. i. e. tum naturales, tum industriales fructus  
 percipiendo suos facit. *l. 48. ff. de A. R. D. item l. 28. ff. de  
 usur.* ratio vero cur bonæ fidei possessor omnes fructus lucratur,  
 hoc nititur fundamento 1. Quia text: de his generaliter lo-  
 quuntur uti *ll. jam allig* ostensum fuit. 2. Per text: in spe-  
 cie de fructibus naturalibus agentes *d. l. 48. p.* in quo vocem.  
*Omnes* ad fructus pertinere apparet. 3. Quia in fructibus perci-  
 piendis id juris habet quod dominis in rebus suis tributum est.  
*l. 25. §. 1. ff. de usur.* 4. Quia plus juris habet quam usufructua-  
 rius, qui etiam omnes fructus sibi acquirit. *d. l. 25. §. 1. ff.  
 de usur.* sed præter bonam fidem & perceptionem requiritur con-  
 sumptio bonæ fidei possessoris §. 35. *1. de rer. div.*

### X I I I.

De re singulari & fructibus restituendis nunc diximus. Cæ-  
 terum quantum ad impensas, notandum, quod ab impensis  
 ipsius rei causa factis separentur illæ, quæ fructuum quæren-  
 dorum causa fiunt. *l. 46. ff. de usur. l. 36. fin. de peti. hered.* Fru-  
 ctus enim non intelliguntur nisi deductis impensis. *l. 30. ff. pro  
 soc.* Impensæ duplices sunt, aliæ sunt fructuum percipiendõ-  
 rum causa, aliæ in rem ipsam factæ. In rem ipsam iterum sunt  
 triplices, *vel necessaria, vel Utiles, vel voluptuaria.* Impensæ  
*necessaria* sunt, quæ si factæ non fuissent, ipsa res peritura vel de-  
 terior facta fuisset. *l. 79. ff. de V. S.* *Utiles* sunt sine quibus res qui-  
 dem non peritura fuisset, sed quæ rem ipsam meliorem reddunt.  
*Exempla* sunt in ead. *l. 79. §. 1. ff. de V. S.* *Voluptaria* sunt quæ spe-  
 ciem duntaxat exornant, non etiam fructum augent. *d. l. 79. §. ult.  
 ff. de V. S.*

### XIV. Cæteras

## XIV.

Cæteras in rem ipsam factas impensas quod spectat, necessarias quidem, tam bonæ, quam malæ fidei possessor deducit. *l. 5. C. h. t.* & per exceptionem, doli mali tam diu rem petitam retinet donec ipsi satisfiat. *d. l. 5. C. h. t. junct. l. 14. ff. de dol. mal. l. 7. §. 12. ff. de A. R. D.* Exceptio tamen est in furibus, raptoribus, & violentis in vasoribus. *l. 1. C. de inf. expos. l. 13. ff. de cond. furt.* Ratio est, quia horum mala fides singulariter vitiosa est. *arg. §. 2. inst. de usuc.* & quotidiana contrectatione delictum repetere videntur. *l. 67. §. 2. ff. de furt. sic & in l. 27. §. 25. ff. ad l. aquil.* ubi habetur limitatio. Ubique secat, non consideratur ut possessor sed ut secans segetes.

## XV.

Utiles impensas bonæ fidei possessor per retentionem opposita doli mali exceptione servare potest. *§. 31. 33. 1. de R. D. l. 30. 48. ff. h. t.* nam hoc natura æquum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiores, loquitur ipsa *l. 14. ff. de cond. indeb.* aliud vero quid est, sint tantæ ut cogant dominum pauperiorem ad rem suam vendendam, tunc tota res arbitrio judicis est relinquenda, ut ex æquo & bono determinet, an impensas deducere possit possessor: iniquum enim esset propter impensas in rem suam ab alio factas compelli dominum re sua carere. *l. 8. ff. de impens. in rem dot. fact. l. 38. ff. h. t.* aut malæ fidei possessor hoc singulari judicio contentus, utiles impensas tantum tollere potest. *d. §. 31. de R. D. l. domum. 5. C. h. t.* adeò ut ad utiles impensas retinendas nullam habeat exceptionem, sive ab initio mala fide, sive quidem bona fide rem possideat, modo eo tempore, quo in rem impensas fecerit, alienam esse sciverit. *l. 37. ff. h. t.* sed ex æqui-

12 DISPUTATIO JURIDICA

tate quæ non patitur aliquem locupletari cum alterius damno (uti statim diximus) permittitur ipsi impensas utiles tollere sine læsione tamen fundi *d. l. 5. in fin. b. t.*

XVI.

*Voluptarias* denique impensas, quales sunt Ambulacra, Pyramides, picturæ, statuæ & similia, de quibus. *d. l. 79. §. 1. ff. d. V. S.* Tollere tantum potest tam malæ fidei possessor quam b. f. possessor. *Cir. l. 5. C. h. t. arg. l. 38. ff. b. t.* si modo recipiant separationem. *l. 9. ff. de imp. in rem dot. juncta d. l. 38. vers. neque malitiis. b. t.* ac sine rei detrimento auferri queant. *l. 39. §. 1. ff. de per. hered.* manet tamen in arbitrio petitoris, an velit pati istam ablationem, an vero tantum dare quantum habiturus esset possessor, iis rebus ablatis. *d. l. 38. vers. constituimus junct. d. l. g. de impens. in rem dot.*

XVII.

Atque hæc quidem de *directa rei vindicatione* dixisse nunc sufficit: Præter hanc ergo dicimus quædam alia consideranda venit, quæ ratione suæ distinctionis, *utilis rei vindicatio*, vocatur inter quam & directam hæc differentia est, quod in *directa* dominium proprie dictum probare debeat actor, ut ostendimus: *in utili* vero non, sed tantum aliquod jus circa rem, dominio proximum: *utilis* autem diverso sensu dicitur. Alia enim utilis est quæ ex utili dominio: atque adeo hæc actio competit Emphyteutæ, Vassallo. *l. 1. §. 1. ff. si ager. vectig.* alia utilis est, quæ non ex dominio vero, vel regulariter acquisito, sed tali jure datur, quod lex pro domino habet, qualem habet. (1) Is cui actio in rem cessa est *l. fin. C. de hered. vel act. vend.* Quod autem dicitur cessonarium utilem actionem habere, intelligendum est, si ex propria  
 persona

persona agat; nam ex persona cedentis directam actionem habet. *d. l. ult. junct. l. 18. C. de leg.* (2) Utilem actionem habet uxor, si maritus emerit rem pecunia ab uxore sibi donata cum donationem revocat & solvendo non est maritus. *l. 55. in fin. ff. de don. inter viru. & ux.* (3) Pupillo vel minori competit, ratione rerum ex eorum nummis per tutores vel alios emptarum *l. 2. ff. quand. ex fact. tut.*

## X V I I I.

Effectus hujus judicii est, quod impleta actoris intentione eaque probata, reus condemnetur ad faciendam restitutionem. *Qui autem restituere jussus judici non paret. contendens non posse restituere, si quidem habeat rem, uanu militari ab eo judicis officio possessio transfertur, & fructuum duntaxat omnisque causa condemnatio fit. Si vero non potest restituere, si quidem dolo facit, quo minus possit, is quantum ad versarius in litem sine ulla ratione, in infinitum juraverit damnandus est. Si vero nec potest restituere, nec dolo fecit quo minus possit, non pluris quam quanti res est, id est, quanti adversarii interfuit, condemnandus est. Hac sententia generalis est & ad omnia sive interdicta, sive actiones in rem, sive in personam, ex quibus arbitrata judicis quid restituntur locum habet. text. in l. 68. ff. h. t.*

## X I X.

Hæc vero ablatio rei violenta, est tantum effectus extra ordinarius, si scilicet actor rei ipsius restitutionem præcise urgeat. Ordinarius autem procedendi modus in eo consistit, ut juxta naturam actionis arbitrariæ qualis est *rei vindicatio*. §. 31. *inst. de act.* reus & possessor, qui rem restituere recusat condemnetur in id quanti actor in litem juraverit *l. 46. ff. h. t. l. 5. pr. ff. de in lit. jurand.* quod si reus jam ita condemnatus

#### 14 DISPUTATIO JURIDICA

fit, prærium quod pro re evicta numeraverit, repetere non potest, licet bona fide emptam comparit *l. 23. c. h. t. l. 16. c. de evict.* & quamvis in foro publice emerit, nec juvabit eum, quod emerit eo sine ut domino restitueret, quia per hujusmodi protestationem non potest tolli jus domino competens *l. 11. ff. de R. J.* sunt autem casus quibus prærium repeti potest, ut (1) si res, alias peritura emendo servata (2) aut ab hostibus redempta fuerit. *l. 6. ff. de captiv.*

X X.

Adversa & rei vindicationi contraria variè opponi possunt, sed præcipue cum reus per dominii exceptionem se dominum esse intendit: §. 2. *Inst. de act.* item præscriptionis, quæ bifariam proponitur, uno modo cum reus se rem proinde simul actionem sicut in confessaria præscripsisse dicit, quo casu decennii vel vicennii præscriptio sufficit *l. 6. c. per. hered. tor. tit. c. de long. temp. præscript.* Altero, cum non allegat usucapionem rei, forte quia non potest, ut si mala fide aut sine titulo possedit, attamen actioni præscriptum esse dicit quo casu non sufficit longum tempus, sed 30 annorum possessio erit adjicienda. *l. 5. c. de præscript. 33. annor. est & illa utilis exceptio, si reus se possidere neget. l. 36. ff. h. t.*

F I N I S.

C O.



## COROLLARIA.

I.

**R**Ecte Imperator Henricus V. pro lo-  
tario contra Asonem Judicavit,  
quod Merum Imperium resideat in  
Principe tanquam in fonte, & nu-  
dum exercitium tantum sit penes ma-  
gistratum.

II.

Venditor non potest cogi ad præcisam rei  
traditionem, liberatur ergo præstando  
id quod interest.

III.

Minor potest esse procurator ad lites.

IV. Va-



I V.

*Valet donatio omnium bonorum.*

V.

*Maritus est dominus dotis.*

V I.

*Mulier non potest esse testis in testa-  
mento.*

